

mali suspensionem rescuit. Perinde ac si homini liceret se quomodolibet nullaque urgente morbi vi mutilare. Et quasi vero amputata illa parte, simul excideretur quidquid foeda libido potest vel cogitare, vel sensu, vel affectu, vel opere exequi. Leonitium igitur duplici causa & jure, tum illicitae refectionis, tum prohibita consuetudinis, deposuit Eulathius. At Leontius per novum scelus se Arianis adjunxit, quorum factione ipsam etiam sedem Antiochenam invasit. Refert quoque Eusebius lib. 6. hist. Eccl. Origenem, cum feminas aliquot Theologicis disciplinis & sacris litteris erudiret, velletque aut malum ipsum aut mali suspensionem antevertere, sese adhibitis quibusdam medicamentis fecisse eunuchum, verba ista Evangelii aliter quam par erat intelligendo: *Sunt eunuchi qui seipso castraverunt propter regnum Calorum.* Quapropter Demetrius Alexandria Antistes sacram ordinationem petenti recusavit. At Origenes in Palaestina commigrans, cum consuetis Episcopi sui Demetrii testimonialibus litteris, sacros Ordines ipsi sume Sacerdotium sumpsit ab Episcopis Casariensi & Jerosolymitano: unde graves exorta Demetrii cum illis Episcopis querela. Quam pariter historiam narrat Epiphanius haeres. 58. & Hieronymus de script. Eccl. in Alexandro. Itaque genus istud irregularitatis etiam longe ante Nicenam Synodum sumpsit exordium. Praetereaque stabiliatur Apostolorum canonibus 21, & 22. Spontaneam hujusmodi mutilationem veterunt pariter Romanorum leges civiles. Edicto Hadriani Caesaris, cujus est mentio in l. 4. §. 2. ad leg. Cornel. de scar. & venef. poena capitalis intentatur & medico unus & alter reperiri posset ad Clerum idoneus; atque messis abundans deperiret operarium paucitate.

3. Can. II. Quoniam plura aut per necessitatem, aut alia urgentibus hominibus adversus Ecclesiasticam facta sunt regulam; ut homines ex gentili vita nuper accedentes ad fidem, & instructi brevi tempore, mox ad lavacrum spirituale perducerent, simulque ut baptizati sunt ad Episcopatum, vel ad Presbyterium promoverent; optime placuit nihil tale de reliquo fieri. Nam & tempore opus est ei qui catechizatur, & post baptismum probatione quamplurima. Manifesta enim est Apostolica scriptura quae dicit: Non neophytum, ne in superbia elatus in iudicium incidat, & in laqueum diaboli. Si vero processu temporis aliquod delictum animae circa personam reparatur hujusmodi, & a duobus aut tribus testibus arguatur, a Clero talis ablineat. Si quis autem praeter hoc fecerit: quasi contra magnum Concilium se efferens, ipse de clericatus honore periclitabitur.

4. Hoc idem statuit Laodicensis Canon. 3. Concilium praeterea Sardicense cap. 10. Graeco, Latino autem 13. cavet, ne quis ad superioris ordinis gradum promoveatur; nisi antea prioris ordinis ministerium congruo tempore in Ecclesia exercuerit: ut possint ejus fides, probitas, moderatio, & constantia sufficienter dignosci. Providit etiam Laodicenus Canon. 3. ne recens illuminati ad Sacerdotium promoveantur. Alexander Severus Augustus, referente Anniano Marcellino, neminem ad Magistratum & praefecturas promovebat, nisi post factam disquisitionem, iudicioque populi approbatum: atque in eo se profecturatur Christianorum disciplinam imitari, qui neminem, nisi accurate prius exploratum, ad Ecclesiastica ministeria solebant admittens. Rem miram narrat Joannes Moschus in Prato spirituali cap. 149. Cum fuisset Abbas Ammos provectus ad Patriarchatum Jerosolymitanum, atque ad eum venerationis causa omnes ex eremo Abbates convenissent, se quoque cum suo Abbate assuisset. Ammos vero ut pro se, ad tam formidabile onus adhiberetur, preces Deo funderent enixe Patres rogavit: potissimum vero metuere se onus ordinationi annexum, ex quo scriptum invenit beatissimum Leonem, qui tanta virtutum laude Romanam rexit Ecclesiam, postquam totis quadraginta diebus ad sepulcrum Apostoli Petri vigiliis & orationibus instans, fuorum delictorum veniam imploravisset, apparentem in fine Petrum ei dixisse: *Oravi pro te, dimissaque tibi reliqua omnia in quibus peccasti confirmo; adhuc tamen apud Christum iudicem hoc unum de praeteritis requiritur, si quid in manus impositione deliqueris.* Nec sine gravi causa Timotheum admonet Apostolus Paulus 1. Timoth. 5. Manus cito nemini imposueris.

5. Dubitatur quidnam rei sit illud delictum animae, seu potius animale, *λογισμὸν εὐσέπνημα* in hoc Niceno can. 2. a Clero excludens eum qui duobus vel tribus testibus convictus fuerit illius reus: Istud exponit Theodoros Balsamon de quacunque culpa, qua Dei gratia extinguitur in delinquente. Alii peccatum quodcumque

intelligunt, cujus expiationi leges Ecclesiae publicae injungebant poenitentiam. Eaque peccata, ab antiquis vocitantur per antonomasiam *mortalia*, seu capitalia, quamvis non desint alia minora quidem, & tamen mortalia quibus non infligebatur poenitentia nisi privata. Eoque sensu intelligendum est quod scribit Isidorus lib. 2. de divinis officiis: *Consuetudinem Ecclesiae hanc esse, ut sordidati peccato mortali ad Ordines non promoveantur: & si quis post ordinationem mortale peccatum commiserit, prohibeatur a sacri Ordinis exercitio.* Praeterea Concilium Valentinum in Gallia sub Damaso Papa can. 4. inhibet ab Episcopatu, Sacerdotio & Diaconatu eos, qui se mortali crimine fatentur irretitos, Concilium pariter Agathense can. 32. decernit, Clericum qui se capitali crimine astrinxerit deponi, & in monasterium detrudi, Concilium denique Toletanum quartum c. 5. facit, eos qui publicam agentes poenitentiam, mortale delictum publice confessi sunt, non posse clericos ordinari. Et passim sacri canones vetant, publica poenitentia defunctos ordinari; ut inferius demonstrabimus opportuno loco. Secunda haec sententia non levi nititur probabilitate: Prior vero nullatenus est verosimilis; secundum quam vel unicus actus odii, invidia; aut libidinosi consensus ab Ordinibus in aeternum excluderet, atque ordinatus illorum prohiberetur exercitio; unde uberrima nasceretur scrupulorum & anxietatum animi leges, ob ambiguitatem sive iudicii sive memoriae, circa hujusmodi culpas. Innumeris praeterea viris egregie meritis & Ecclesiae valde utilis aditus ad Ecclesiae ministeria intercluderetur; vixque unus & alter reperiri posset ad Clerum idoneus; atque messis abundans deperiret operarium paucitate.

6. Tertia denique, omniumque probabilissima explicatio est, de completa per actum externum luxuria post baptismi susceptionem. Est enim conformis canonibus 9. & 10. Concilii Neocaesariensis de quibus superius actum: & canoni Eliberitano 50. sic statuenti: *Subdiaconos eos ordinari non debere, qui in adolescentia fuerant mechabati, eo quod postmodum per subreptionem ad altiorum gradum promoveantur. Si autem aliqui sunt in praeterito ordinati amoveantur.* Notandum vero eundem Osium, qui Nicano praefuit Concilio, prius in Illiberitano confedisse.

AD TERTIUM NICENUM Canonem.

1. Can. III. Interdixit per omnia magna Nicena Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, non alicui omnino qui in Clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas qua omnem suspensionem effugiant.

Adem sancta postmodo fuere Concilii Carthaginensis tertii can. 17. de solis enim permittit matribus, aviis, materteris, amitis, sororibus, & filiabus fratrum aut sororum, & illis, quae ex familia necessitate domestica etiam antequam Clericus initiaretur, jam in iisdem aedibus habitabant aut famulabantur; vel si filii ejus qui ordinatus est uxores acceperint; aut servis domesticis non habentibus in domo quas uxores accipiant, aliunde ducere necessitas fuerit. Illi porro servi, de quibus loquitur Carthaginensis canon, erant familiae in perpetuum addicti & libertatis exortes, diversaque a famulis hodiernis, qui sui juris sunt. His tamen minime contentus Augustinus, legem sibi severiorem praescriperat: non enim consentit intra suas aedes conversari cum germana sorore, quae vidua erat religiosissima; neque cum patri & fratris sui filiabus virginibus hac ratione: quia tametsi de sorore & neptibus secum commorantibus nulla suspicio nasceretur, poterat tamen nasci de feminis illis famulantibus, aut de externis ad eas accedentibus ac invisentibus. Hac refert in ipsius vita Possidius. Canon iste Nicenus legitur & in Decreto, c. interdicti per omnia 1. dist. 52. Omnia fere praeter Concilia legem continentiae sacris Clericis praescribunt, usque matrimonii ante initium abstinere jubent. Indubitatum est Nicena Synodo antiquiores fuisse in Oriente Ancyranam, & in Occidente Illiberitanam. Ancyrana dispensat ab ista continentiae lege solos Diaconos, qui antequam ordinarentur fuerant expresse testati, nec posse nec velle ab uxore abstinere: Sed ut eo loco admonui posterior Ecclesiae dispositio illam exceptionem abrogavit. Illiberitanam autem canon 33. haec scilicet: *Placuit in totum prohiberi Episcopis, Presbyteris, Diaconibus & Subdiaconibus positum in ministerio, abstinere se a conjugibus, & non generare filios: quicumque*

que vero fecerit, ab honore clericatus exterminetur. Concilium deinde Arelatense secundum can. 2. statuit: *Assumi aliquem ad Sacerdotium non posse in vinculo conjugii constitutum, nisi primum fuerit promissa conversio.* Concilium Carthaginense secundum can. 2. asserit hanc legem ab Apostolis dimanasse, dum ait: *Placuit & condeget sacrosanctas Antistites, & Dei Sacerdotes, necnon & Levitas, vel qui sacramentis divinis interserviunt, continentem esse in omnibus, quo possint simpliciter quod a Deo postulant impetrare. Ut Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus. Ab universis Episcopis dictum est: Omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi & qui sacramenta contractant, pudicitiae custodes, etiam se ab uxoribus contineant.*

2. Istud idem renovatur in Concilio Carthaginensi quinto can. 3. & in Arelatensi secundo can. 2. proxime relato. Et can. 3. *Si quis de clericis a gradu Diaconatus in solatio suo mulierem, praeter aviam, & matrem, & neprem, sororem, filiam, vel conversam secum uxorem habere praesumpserit, a communione alienus habeatur. Par quoque mulierem, si se non separaverit, poena percellat.* Nec vero sine periculo permittit ille canon conversam secum mulierem habere: ideoque posteriore Ecclesiae regula provifum aliter fuit; ut scilicet uxor a viro se juncta in aliquo monasterio profecturatur. Illa vero cum uxore conversa cohabitatio quam permittit praefatus canon; restringitur ad illam canone expressam conversionem promissam. Quo eodem intelligendus est sensu canon ille sextus Apostolis attributus, quo Graeci schismatici abutuntur: & cujus obtentu veriti non sunt in Synodo Quinisexta Romanam Ecclesiam condemnate. Vult autem canon ille sextus Apostolis adscriptus, ut Episcopi, Sacerdotes, & Diaconi curam uxorum habeant, nec eas specie religionis abijciant; sane quemadmodum idem curam gerere tenentur matris, aviae, sororum, sine ullo cubilis confortio. Pessimum vero sortita est exitum illa Sacerdotis cohabitatio, quem privata epistola Basilii coarguit, qui cum uxore a communione tecti transferat in societatem tori, cujus uxorem mandat includi monasterio.

3. Agathense Concilium coelibatum, quem vocant, & continentiam clericorum asseruit canon. 23. Itemque Turonense secundum, can. 20. discernens, *Si inventus fuerit Presbyter cum sua presbytera, aut Diaconus cum sua Diaconissa, aut Subdiaconus cum Subdiaconissa* (sic vulgo nominantur horum clericorum uxores, quemadmodum uxores Ducum, Marchionum, & Comitum, dici consueverunt Ducissa, Marchionissa, Comitissa) *annum integrum excommunicatus habeatur, & depositus ab omni officio clericali inter laicos se obsecrare cognoscit.* Alii sunt innumeri his conformes veterum Conciliorum canones, quos omitto: cum hi quos adduxi abunde sufficiant.

4. Siricius Papa eisd. ad Himerium Tarraconensem Episcopum cap. 7. eandem renovat in sacro Clero disciplinam. Quemadmodum, & Innocentius Papa epist. ad Victricium Rothomagensem Episcopum cap. 9. Leo Magnus epist. 82. ad Athanasium cap. 3. & 4. dicens: *Ad perfecte continentiae puritatem exhibendam, nec subdiaconis quidem connubium carnale conceditur: ut & qui habent, sint tamquam non habentes; & qui non habent uxores, permanent singulares. Quod si in hoc ordine, qui quartus est a capite, dignum est custodiri, quanto magis in primo, vel in secundo, tertio, observandum est?* Gregorius item Magus lib. 4. Dialog. c. 11. de Ursicino Sacerdote sic refert: *Hic ex tempore ordinationis suae, presbyteram suam ut sororem diligens, sed quasi hostem cavens, ad se propius accedere nunquam sinebat.* Et subinde commemorat, quod cum venerabilis hic senex, quadragesimo suae ordinationis anno, ultima aegritudine decubens, vix extremos spiritus traheret; ejusque presbyteria incerta si expirasset, autem naribus ejus admovisset, ille recollectis viribus in has erupit voces: *Discede mulier, adhuc igniculus est, amove peccatam.* Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum non modo hanc disciplinam suo testimonio roborat, sed etiam ratione ex Apostol. 1. Cor. 7. deducta, dicens: *Si laicus, & quicumque fidelis orare non potest nisi careat officio conjugali; Sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt, semper orandum est: igitur semper matrimonio carendum.* Eandem rationem ab Apostolo desumptam, moneat conjugatos ut ad tempus abstinere ad vacandum orationi, urget Concilium Turonense primum can. 1. ut ad perpetuam continentiam sacros clericos astringat. His conformia quoque docet Ambrosius lib. 1. offic. c. ult.

5. Opposita Graecorum consuetudo gliscere quinto saeculo cepit, haud multo ante Synodum Quinisextam. Enimvero Hieronymus diu in Oriente versatus, ita scribit adversus Vigilantium: *Quid facient Orientis Eccle-*

sia? Quid Aegypti, & sedis Apostolicae? Quae aut virgines clericos accipiunt, aut continentem; aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt; Astipulatur ex Graecis partibus Calcedonensis Synodus oecumenica can. 14. *Cum in quibusdam provinciis concessum sit lectoribus & canonicis uxores ducere.* Non igitur superiorum ordinum clericis. Origenes homil. 13. in Numer. *Alle* (inquit) *solitus est offerre Deo sacrificium, qui se in desinenti & perpetua devoverit castitati.* Eusebius lib. 1. demonstr. c. 9. *Verum tamen* (ait) *eos qui sacrati sunt, atque in Dei cultu & ministerio occupati, continere se deinceps ab uxoris commercio docet.* Πάνη ἀδὰ τῶν ἱερομένων ἐν κρητὶ τὴν τῆ θείᾳ διακονίᾳ ἀσχολούμενοι ἀπέχον κλητῶν ὁσῶς αὐτῶν προσηύκει τῶν γαμικῶν ἐπιπέλας. Ἰσοὶ δὲ τῆς πτωχῆς μη ἀβύσσου ἱσχυρίας, τῶν οὐ δέος λόγος καθύψιστον μόνον ἐχῆ; διαβήδην ἀπᾶσα κρητῆτων ἐπὶ δὴ τῆς μὲν οὐ γὰρος, ἐν ἡ καὶ τὴν ἀμάρτων. Ceterum sacratis viris & circa Dei cultum vacantibus abstinere de reliquo & continere se convenit nuptiali consuetudine. Quicumque vero ad sacrum hoc officium non ascenderunt, his divinus sermo solis indulget, omnibus palam denunciatis honorabile conjugium & cubile immaculatum.

6. Chryostomus, homil. de patientia Job, haec praedicat: *Sic dicit Apostolus unus uxoris virum; non ea ratione ut id nunc ab Ecclesia observetur: oportet enim propterea castitate Sacerdotem ornatum esse.* Basilii Magni epist. 198. ad Paregorium, hunc Presbyterum septuagenarium qui mulierem intra suas aedes ad ministerium habebat graviter objurgat, eumque affirmat Niceni decreti transgressorem, quamvis sanctam omnem suspensionem amovere conaretur tum ratione propecta senectutis suae, tum etiam praeteritam haecenus continentiam suae. Basilii vero nulla excusationum habita ratione, districte jubet ut illam domo ejiciat & in monasterium tradat, eumque interim ordine suspendat: & nisi pareat, anathemati subijcit. Etsi vero Graeca γυνὴ indifferenter nunc mulierem nunc uxorem significat, justio tamen non tantum ejiciendi foras, sed etiam in monasterium tradendi, non solum aliquam mulierem, sed propriam uxorem arguit. Sane cautio ista Basilii & tutior & melior est, quam quod permittit Concilium Carthaginense V. canon. 3. & Gregorius Magnus lib. 7. epist. 29. uxorem intra aedes retinere. Majori sane providentia utitur post Basilium can. 48. sextae Synodi, jubens, ut post ordinationem Episcopi, uxor ejus in monasterio collocetur.

7. Epiphanius, ad finem operis contra haereses, his pariter suffragatur, dicens: *Sanctum Sacerdotium ex virginibus ut plurimum, aut ex solitariis, aut si hi ad ministerium non susceperint, ex his constituitur qui propriis ab uxoribus se continent: Et si quis ab initio continens fuerit, aut viduus, habere potest locum Episcopi; Presbyteri, Diaconi.* Idemque haer. 59. quae est Catharorum, ait: *Sed & liberos gignentem unus uxoris virum Ecclesia non ascripsit, sed eum qui se ab una continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum, aut Hypodiaconum, aut Episcopum, aut presbyterum, maxime ubi sancti sunt canones Ecclesiastici.* At dices mihi, quibusdam in locis filios gignere Presbyteros, Diaconos, aut Hypodiaconos: at non est juxta Canones, sed hominum mentem, quae per tempus elanguit. Ex his postremis Epiphanius verba colligitur, eo jam tempore alicubi suboriri, cepisse eam, quam neoterici Graeci consuetudinem servant, ne liceat sacris ministris novas quidem inire nuptias, possint tamen matrimonium ante ordinationem contractum exercere, solis ab hac libertate exceptis Episcopis. Quae licentia, succedentibus saeculis, & superveniente ferali schismate, pristinam demum disciplinam toto Oriente eliminavit.

8. Quod vero refert Socrates lib. 1. cap. 8. & ex Illo Sozomenus lib. 1. cap. 22. intendisse Nicenum Concilium legem ferre, ut sacri Clerici uxoris absterent amplexibus; huic tamen proposito, ut adeo validis rationibus intercessisse confessorum Paphnutium, ut Synodum in suam sententiam traxerit, ne id lege statueretur; sed ut hujuscemodi continentia singularum libertati arbitrioque relinqueretur. Graecorum Patrum testimonia superius adducta, & testificatio Hieronymi de communi Ecclesiarum Orientis usu, satis superque convincunt, narrationem illam esse confictam & fabulosam: ut mirum sit, eruditum virum Ferdinandum Mendozam ad can. Illiberitanum 33. illius fabulae patrocinium suscepisse. Sed major adhibenda fides sacris canonibus & Patribus tum Latinis, tum Graecis, inter quos Epiphanius haeresi 59. sic attestatur: *Αλλὰ ἐν τῶν ἐπιβότα ἐν τεκνονόνητα, μὲν γυναικὸς ἔντα ἄνδρα, ἢ δέχεται, ἀλλὰ ἀπο μὲν ἐγκρατευσάμενον, ἢ χηρῶντα, διακόνου τε, ἢ πρεσβυτέρου, ἢ ἐπισκόπου, ἢ ὑποδιακόνου, μάλιστα ἐπὶ ἀπὸ βῆσις κινῶν οἱ ἐκκλησιαστικοί. Quin eum insuper qui adhuc in matrimonio degit ac liberis procreandis dat operam, tametsi minus sit uxoris vir, nequaquam tamen ad Diaconi,*